

Kreis  
Steinfurt  
S 100

1265 März 11. Burgsteinfurt.

[3]  
100

Bischof Simon von Paderborn bekundet als Oberlehnsherr, daß Ritter Rodulf von Wechte sein Erbe Diktrup (Kippl. Telgte) den Edlen Ludolf und Baldemir von Steinfurt aufgetragen und es nebst einem Erbe zu Lire (wohl verlesen statt Line, Lienen, Kr. Warendorf) von ihnen als Lehen zurück erhalten hat.

S(imon), Dei gratia Parbornensis episcopus, omnibus presens scriptum inspecturis salutem in Domino. Ne ea, que geruntur in tempore, labantur cum processu temporis, poni solent in lingua testium et scripturarum testimonio perhennari. Eapropter noverint universi, quia Rodulfus miles dictus de Veghte, ministerialis nobilium virorum Ludolfi et Boldewini in Stenvordia,

domum Dikethorpe, quam iure proprietatis tenebat, ipsis nobilibus dedit et assignavit, eandemque cum domo Lire ab eisdem recepit iure feodali, nobiles etiam iidem duobus pueris suis eadem porrigerentur et voverunt, dummodo dictus Rodulfus ipsos ministeriales efficiat eorundem; quorum unum nobiles nominati per concambium sibi attrahent, alterum vero sine concambio Rodulfus miles ipsorum dominorum ministeriale fieri procurabit, hac interposita forma, quod si omnes pueros suos ministeriales nostros decedere contigerit, unum ex supradictis manumittent ecclesie nostre, ne bona eorum nobis videntur vel nostro successori. Si autem omnes tam nostri ministeriales quam eorum, pueri videlicet Rodulfi sepeliti, mortui fuerint, uno tantum superstitae nobis attinente, eadem bona porrigit ipsi loco ministerialium et iure, ipso tamen fidem prestante cum cautione sufficienti, quod, si pueros generet, unus eorum efficiatur ministerialis postea, bona alioquin vacabunt nec ipsis porrigerentur tenentur. Obligavit se itaque miles idem, ut filia sua sine consilio Stenvordensium non nubat, aut nulli nisi uni ministerialium eorum. Ut autem hec ordinatio rata permaneat, presentem cedulam ad sufficiens testimonium uterque eorum postulavit sigilli nostri munimine roborari. Acta sunt hec anno Domini M<sup>o</sup>. cc<sup>o</sup>. lx<sup>o</sup>. v<sup>o</sup>. feria quarta ante festum Gregorii, in domo Stenvordensi coram viris probis et testibus idoneis, domino comite Ottone de Benthem, Hinrico de Vullen, castellano Novi Castri, Godefrido dapifero in Stenvordia, Gerhardo de Vullen, Hinrico Palstero, Reynero de Havekesbeke, Winando Dancevot et Johanne de Boelo militibus et castellanis in Stenvort, et aliis quam multis.

Abßchrift Lb. S. 9. Drud Döhmann a. a. O. S. 28.